

## Canones de toto &amp; parte.

*1 Posito aut remoto toto, necesse est ponи, vel remo-  
veri partes:*

Ut, Tota cœna pertinet ad laicos. E. & calix. Magistratus  
est custos totius legis divinæ. E. & primæ & secundæ tabulæ.  
Alii sic enunciant canonem hunc:

Probatio di-  
ctica è loco  
totius &  
partis.

*De quo totum affirmatur vel negatur, de eo etiam  
omnes partes, vel aliquam affirmari vel negari est ne-  
cessе:*

Ut, Nullum metallum constat corpore organico & ani-  
mâ vegetante: quia non est corpus vivens. Socrates est ho-  
mo. E. constat corpore organico & animâ rationali.

*2 De quo omnes partes affirmantur vel negantur,  
de eo necesse est totum affirmari vel negari:*

Ut, Omnis planta est corpus vivens; quia constat corpore  
organico & animâ vegetante. Nullum metallum est corpus  
vivens, quia non constat corpore organico & animâ vege-  
tante.

*3 Quod convenit vel non convenit toti homogeneo, id  
etiam convenit vel non convenit parti:*

Ut, aqua est humida. E. & quælibet gutta est humida.  
Terra est sicca. E. & quævis illitus particula. Excipe illa, quæ  
de toto dicuntur, ut totum est.

*4 A remotione unius partis essentialis ad remotio-  
nem totius essentialis necessaria est consequentia:*

Ut, Non habet corpus animatum. E. non est homo.

*5 Destructâ unâ parte integrali principali destruitur  
totum integrale:*

Ut, Non habet caput. E. non est homo. Hoc ædificium  
non habet tectum. E. non est domus. Cœna Domini apud  
Indos non habet vinum. E. non est cœna Domini. Cœna  
Domini apud Brasilienses non habet panem. E. non est cœ-  
na Domini.

Probatio di-  
ctica è loco  
generis &  
speciei.

## Canones de genere &amp; specie.

*1 Quidquid universaliter de genere affirmatur, vel  
negatur,*